

CONCIO IX.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Cur lex purificationis lata? — II. Cur primogenitorum oblatio præcepta? Lev. XII. Resp. primo, quia titulus creationis et supremi domini omnia Deo debentur, ideo primogenita saltem in recognitionem petiit. Hanc causam reddit, Exod. XIII. dicens: *Mea sunt enim omnia.*

Secundo, titulus liberationis et redēptionis, qua Iudaeorum primogenita tutatus est ab exterminatore angelo, qui Ægyptiorum primogenita omnia occiderat. Hæc etiam ratio redditur loco citato paulo inferius.

THEMA.

Viderunt oculi mei salutare tuum. Luc. II.

Tribus hominum generibus manifestavit suam infantiam Christus, pastoribus, magis, seniculis Simeoni et Annae. Nec absque divino mysterio, in his enim tribus personarum generibus continetur omne hominum genus: Judæi et gentiles, viri et mulieres, pauperes et divites, simplices et sapientes, justi et injusti. Deinde, hic ternarius continet tres modos divinae illustrationis. Pastores cognoverunt Christum angeli ministerio, magi stellæ beneficio, Simeon et Anna solo interno Spiritus sancti lumine. Ita enim alii illuminantur ab angelis, alii per miracula, alii solo Spiritus sancti magisterio, qui postremus modus ordinarius est, et nobis communis, qui in templum convenimus, ut ibidem illustremur a Spiritu sancto docente per suos prædictores. Attollamus igitur oculos et nos, mentemque advertamus ad hodiernum evangelium, quo et ipsi cernere queamus salutare Dei.

I. Quæritur cur lex purificationis a Deo lata? Respond. primo, propter immunditiam conceptus et partus humani, quæ ex peccato originali profluit, velut pena et index illius: proinde, castitatem conjugalem nequaquam accedere ad virginem, quod illa sordibus seateat, ideoque purificatione indigat.

Secundo, tropologice, ut indicaretur omnes, quotquot peccatum pariunt purificatione penitentiae indigere; et tum primum exacto die quadragesimo, id est, vita hujus cursu in templum gloriae ascendere. Deoque sisti posse: dicuntur etiam bruta quadam sese purificare, velut elephas, qui sub lunam novam fulmine se purificat et herbas versus cœlum jactat, auctore Pierio, I. II. hierogl. docens suo exemplo nos, ut cor nostrum menstrua exomologesi purificemus. Ceterum lex illa non obligat mulieres christianas, utpote cærimonialis; et sic respondit Innocentius III. cap. unic. de purificatione post partum. Recte tamen et istæ faciunt, si ad venerationem et imitationem B. Virginis per dies quadraginta abstinent.

II. Quæritur, cur primogenitorum oblatio precepta? Lev. XII. Resp. primo, quia titulus creationis et supremi domini omnia Deo debentur, ideo primogenita saltem in recognitionem petiit. Hanc causam reddit, Exod. XIII. dicens: *Mea sunt enim omnia.*

Secundo, titulus liberationis et redēptionis, qua Iudaeorum primogenita tutatus est ab exterminatore angelo, qui Ægyptiorum primogenita omnia occiderat. Hæc etiam ratio redditur loco citato paulo inferius.

Tertio, ut moneamur exordia actionum nostrorum præsertim gravium Deo dicare, omniaque nostra a Deo ejusque opis imploratione ordiri, ut alias vidimus.

III. Quæritur, quæ hostia offerranda erat pro purificatione matris? Resp. si divites fuissent parentes, offerri debebat agnus anniculus, una cum pulli columba, vel turtre: si pauperes duo pulli columbarum, vel duo turtres, Lev. XII. Ratio legis videtur fuisse, primo, ut puerpera gratias ageret Deo quod periculum partus evaserit, quod notandum est prægnantibus, ut ante partum se communicant salutaribus sacramentis; quia periculum vitæ in partu subeunt.

Secundo, ut hostia sua indice moneantur problem suum ita educare, ut agnina innocentiam præ se ferat, et columbinam simplicitatem.

Tertio, ut ipse fidem conjugalem merito servet, quemadmodum et columbae, de quibus scribit Plin. I. X. c. XXXIV. *Pudicitia columbis prima est, neutri nota adulterina, tori fidem non violant, communemque servant domum, imperiosos mares, subinde etiam iniquos ferunt. Turtur in solitudine, columba inter homines degit, ut discant conjugatæ, utrique vitæ, activæ et contemplatiæ studere; et ab oneribus ad orationem et gemitus subinde se recipere.*

IV. Quæritur, cur non agnum, sed par turram, aut duos pullos columbarum obtulit Deipara?

Resp. primo, ex paupertate, quia cum paupere filio pauper vivere voluit, ideo etiam pauperum hostiam dare. Dicet aliquis, dilatam fuisse ex auro oblatu a magis: sed quid si aurum id non totum acceperit, sed modice delibarit? Quid si id pauperibus mox erogari? Quid si pro fuga Ægyptiaca servasse volisset? Denique, licet id alii retinuisset usibus, decens tamen erat, ut ipsa pauper pauperum, non divitum hostiam offerret.

Secunda, ob mysterium, quia Christus ipsem erat agnus verus, quem prefigurabat ille typicus; debet autem umbra cedere veritati. Fuit igitur in hac oblatione Christus agnus matutinus, su-

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

turus postea vespertinus, in cruce scilicet immolandus, ut sic impleret figuram jugis sacrificii, Exod. XXIX. ut docet S. Bernard. serm. II. et IV. de purificatione.

Tertio: «Quia talem hostiam, inquit Eucherius Lugdun. hom. infra octav. nativitatis, offerre debuit Virgo Maria, per quam castitas et humilitas figuratur, quæ inter omnes mulieres et castior et semper humilior extitit; et bene quidem non singulari, sed paria obtulit, quæ non corpore tantum, sed corde et animo casta et humili erat.» Accedit S. Bernard. qui serm. LIX. in Cant. ait: «Quia columba libidinosa avis est, non decuit eam offerri in sacrificium Domini, nisi sane ea ætate, qua nesciret libidinem. At turturis non assignatur ætas, quoniam agnoscurt castitas in quaenamque ætate.»

V. Quæritur: Tenebaturne Deipara lege purificationis, et Christus lege primogenitorum?

Respondet negative, ex communi patrum sententia.

Ratio prima, quia Deipara non concepit Christum, suscepto viri semine (quod expresse apposuit lex, ut Deiparam hinc excluderet) sed opera Spiritus sancti: deinde, quia partus Virginis fuit purissimus, omnis sordis, et fluxus sanguinis (ob quem videtur lex purificationis statuta esse, ut habetur Levit. XII. vers. IV.) Dexpers. Unde S. Augustinus, libr. de V. hæres. hær. V. ait: *Stulte, unde sordes in virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? Unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem?*

Ratio secunda est, quia Christus nascens: *Non aperuit vulvam matris,* (quod etiam expresse inseruit lex, Exod. XIII. ut Christum hic excluderet) sed clausum matris uterum penetrando prodit in lucem.

VI. Quæritur, cur Simeon testis Christi electus, et cui in ejus præsentatione?

Respondet ad primum, quia Simeon erat vir sanctissimus, et quia propheta, et quia maxime senex, et quia magno desiderio Christi adventum prestolabatur, doctus a Spiritu sancto eum se visurum: ut innuit evangelium. Talis autem testis decebat Christum Dominum. Et tales etiam aliarum rerum testes esse deberent, justi, timorati, et Spiritu sancto afflati.

Resp. ad secundum, quia Christus tunc offere-

batur veluti servus et peccator; in tanta igitur abjectione testem habere debuit sue divinitatis et sanctitatis. Observatum id est in aliis etiam Christi gestis, in quibus veluti unus e peccatoriis haberi poterat, veluti in circumcisione, in qua vel ipsum ejus nomen eum ab omni sceleris labo purum ostendit: in baptismo, in quo Spiritus sanctus in specie columba super eum sedens suspicionem labis abstersit: in cruce, in qua cœlum et elementa, ipse latro et centurio innocentiam ejus contestati sunt.

VII. Quæritur, cur viso Christi dimitti petiit Simeon? Dic enim sancte senex, cur nunc dimitti vis, cum potius optare deberes vitam longiorum, ut vita vera, quam in ulnis gestas, diutius frui posses? Sed audi: Tria sunt, inquit, quæ meum animum ad id impellunt. Primum quidem, quia cum mors omnibus terrori sit, nunc dum vitam manibus, et sinu gesto, motus mihi omnis adimitur, nec elabi patior hanc tuto et cum gudio moriendi opportunitatem. Cum quis manus plenas divitias habet, vel in thesaurum incidit, locare illum in tuto loco statim cogitat. Ita ego, ait, inventum hunc thesaurum, per mortem meam tutum in sempiternum reddere cogito, quem certe multis expositum periculis in hac vita non ignoro. Deinde: Vidi, inquit, vidi oculis meis tam ingens, tam præclarum bonum, ut nihil amplius expectandum sit, quod videam, imo claudendi oculi sunt ne rebus istis humanis fœderantur, ne si forte in turpem aliquam rem, vel mortem incurvant, contristentur, atque ita meam mihi hanc, quam hausi oculis pulchritudinem et mundissimum nitorem, qui me summopere recreat, atque confortat, vel eripiat prorsus, vel certe imminuat, et obscurat. Denique: Animadverto, ait, quanta puer olim passurus sit mala, quantam heu! Vim sanguinis profusurus, quam horrendam, crudelemque mortem per meos etiam Iudeos (quis credat?) obiturus sit, ideo horrent oculi horum aspectum et in mortem claudi malunt, quam superstites esse: scies tamen tu filii hujus mater, cum tuam ipsius animam pertransibit gladius doloris, quam acerba sint hæc futura, quæ mente revolvit. Ego vero in modum cygni coelesti cantu viam patrum latus inibo; quem et nos ut sequamur simili clausula, rogemus, etc.